



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Vigesima octaua Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Octobris 28.

N A T A L E S

ecclesia Tungrensi. Sed inde est nono Calendas Martij, per Brunonem episcopum, fratrem Ottonis Imperatoris translatus Coloniam, ad sanctam Cæciliam.

Cap. 61.

Memorabile est quod scribit in gloriam martyrum Gregorius Turonensis, Eberegisilum nostrum, dum validis doloribus medij capit is quateretur, diaconum misisse pro puluere ad puteum martyrum Thebæorum: & exinde cum caput attigisset, dolore omni liberatum esse. Recensetur etiam inter episcopos Tungrensis diœcesis, eo quod Tungris fidei calore inflammatus intrepide prædicauerit contra fœtorem idolatriæ. Est autem Tungrorum oppidum antiquitatis memoria celebre in territorio Leodiensi sub dominio episcopi. Historiam vitæ & translationis edidit Surius, tomo quinto.

Vigesima octaua Octobris.

De sancto Dodone confessore.

Ex historia manu-scripta Lobis ac alibi, & rescripto patrum Lobiensium.

FAniæ, depositio beati DODONIS monachi, discipuli S. Vrsmari episcopi. Qui in pago Lomacensi, in villa quæ dicitur Vallis, religiosos habuit parentes, à quibus ad sanctum Vrsmarum Lobiam delatus est ut sacri baptismatis vnda purificaretur, atque ut proprius eius filius, in Dei obsequio educaretur. Fultus igitur superni regis præsidio, & beati Vrsmari salutifero animatus hortatu, iam prouectior omnem suæ hereditatis possessionem, beato principi Apostolorum delegavit, in

gauit, in monasterio quod ex nomine fluminis secus illud decurrentis Waslerus est nuncupatum. Cui etiam monasterio S. Landelinus & Vrsmarus ipsum præfecerunt. Postea relicto onere regiminis, vicino in loco cellulam exstruxit: in qua permisso pij patris Vrsmari contemplationi deditus, deposito onere fragilitatis feliciter in pace quieuit. Cùm autem multis prodentibus miraculis, nomen eius apud multos innotuerat, Dodilo Cameraensis episcopus, inito consilio cùm suis archidiaconis, & cæteris cooperatoribus, membra sancta congruo honore deferri Waslare ad S. Petri monasterium iussit. Et in illa translatione mulier quæ brachia dissoluta ori admouere non poterat, eupiuit ea perfundi aqua, qua sancti membra à sacerdotibus abluta fuerant, & illico sanitati est restituta. Post multa autem annorum curricula monitus est per visionem Lentbertus loci prouisor, vt eum in ecclesia collapsa indecentius quiescentem, honorificenter locaret. Quod per Fulbertum episcopum fecit, & ipse pro restauratione ecclesiæ cum gestatorio pignorum villas monasterio contiguas, & pagum Brabantensem circuibuit, Deo etiam miracula aliquot in itineratione ad sancti sui honorem operante. Fuit autem Waslerum monasterium in silva Fania versus Theoraciam, sed prorsus dirutum est. Vnde corpus confessoris modo quiescit in Prioratu Lobiensi, qui dicitur *Mouster en Faigne*, monasterium in Fania. Obiit in die sanctorum Apostolorum Simonis & Iudeæ, sed transfertur in diem sequentem.

Verisimile est autem Waslerum non abbatiam fuisse sed Prioratum Lobi subiectum. Non enim pingitur sanctus Dodo cum baculo pastorali, ut cæteri sancti abbates,